



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Praxis Episcopalis**

**Piasecki, Paweł**

**Coloniae Agrippinae, 1620**

De Fœminis, Gentilibus, & Infidelibus non ordinandis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61608)

ptibus Episcopi viuat. *Maïol. lib. 4. de irreg. c. 2. num. 5. Lopez. ad Diaz. in pract. cit. crim. c. 26. vers. tertius casus.* rationēque dant ijdem, quia videlicet in longinquo degentis Episcopus mores cognoscere non potest, ob quem maxime respectum videtur hanc facultatem. *Conc. cit. indulgisse Episcopis. Lopez. & Quarant. loc. cit.* An autem dispensari possit cum familiari triennali in casibus alias per Episcopū dispensari solitis, videri potest *Nau. cons. 25. & 27. de temp. ord. in antiq.*

15. Sublimitatur autem nostra propositio de familiari triennali ordinando, vt non habeat locum in Episcopis titularibus, isti enim ratione familiaritatis neminem ordinare possunt. *textus est expressus. Conc. cit. sess. 14. c. 2. de ref. in illis verbis* (etiam prætextu familiaritatis cōtinuæ commensalitatatis suæ) Et hoc pro-

pterea, quod Episcopus titularis nō habet Diœcesim, in qua familiaris efficiatur domiciliarius, nam neque ipse potest dici morari in domicilio proprio, cum non habitet in propria Diœcesi nec habet beneficia de quibus prouideat promouendum. *Lopez. lo. cit.* Vnde etiam talis Episcopus titularis Pōtificialia nullibi exercere potest, nisi de licentia loci Episcopi, vel in Diœcesi ad quam fortē constituitur Suffraganeus, vt plerumque fit, c. quoniam de off. ord. *Abb. ib. a. nu. 3. ad fin.* Eisdem titulares Episcopos non debere dari nisi Ecclesijs Cardinalium, vel illis quæ solitæ fuerint eisdem habere, idq; cum assignatione certi annui stipendij ad minus Ducatorum auri ducentorum de Camera, quos propria auctoritate percipere possint, deducit *Franch. Leo. in sua prax. c. 39. num. 17.*

16.

## ARTICVLVS III.

## De Fœminis, Gentilibus, Infidelibus &amp; Iudæis non ordinandis.

- 1 Fœmina est incapax ordinis.
- 2 Hermaphroditus an possit ordinari.
- 3 Ordinari non potest qui nondum est baptizatus.
- 4 Baptizatum iterans incurrit irregularitatem.
- 5 Hæretici, Neophiti, Apostata ordinari non debent.
- 6 Occidens vel mutilans Sacerdotem ordinari non potest.
- 7 Episcopus excommunicatus vel Apostata ordinare non potest.
- 8 Excommunicatus, suspensus, ordinari non debet.

1.

**F**œminæ non possunt ordinari, & si ordinentur non recipiunt characterem. c. noua de penit. & remiss. *S. Tho. in 4. dist. 25. q. 2. art. 1. Arch. in c. Diaconissam. 27. q. 1. Host. in sum. de temp. ord. num. 31. S. sed & præter. & omnes communiter*

*Theol. & Canonista.* Hermaphroditus etiam si in fœmineum sexum magis declinet, vel dubium sit ad quem declinet magis ordinari non potest, & ordinatus non reciperet characterem. *Aug. verbo. ord. 3. num. 21. ad quod. citat. tex. cap. illiteratos. 26. dist. Arm. ver. Hermaphroditus. num.*

2.

num. 2. Quod si in virilem sexum magis declinet ordinatus, reciperet characterem, ordinari tamen non debet. *Authores citati.*

Gentiles quoque Pagani, Iudæi, Cathæcumeni, & vno verbo qui non sunt baptizati, nõ debent ordinari, & ordinati non reciperent characterem. Quia nimirum Baptismus est ianua & fundamentum omnium Sacramentorum. c. 1. & 3. de presb. non bapt. Innoc. Abb. ib. Hofst. in sum. tit. eod. Nau. in man. cap. 27. nu. 207. Vuald. de irreg. num. 6.

3. Rebaptizati etiam, seu bis baptizati siue à Catholicis siue ab Hæreticis sciēter vel ignoranter, maximè verò si post factum ratã habuerint iterationem spõte etiam vel metu, qui non cadit in constantem, licet ordinati characterem recipiant, ordinari tamen prohibentur. cap. qui bis ignoranter de consecr. d. 4. Nau. lo. cit. num. 246. Vuald. lo. cit. num. 39. Arm. verb. irregularitas. num. 84. Ang. ibid. 1. num. 24. hacque eadem irregularitate ligari dicit ipsum rebaptizantem, & rebaptizationis ministrum.

De illis tamen qui ignorantia probabili, vel metu cadente in cõstantem fuerunt rebaptizati omisis diuersis diuersarum distinctionibus, securior videtur sententia. Arm. loco cit. qui dicit cum talibus per Episcopum dispensari posse, ita quod in casu simili quo nõ videretur sequi irregularitas, ad maiorem cautelã petenda sit ab Episcopo dispensatio, præsertim in tanta Doctorum discrepantia, quorum plurimi nullam ignorãtiam, nec aliquam aliam rationem tenent excusare posse in tali casu rebaptizationis, quo minus sequatur irregularitas: ad hoc facit Hofst. in sum. de Sacrament. non iteran. circa finem.

Iterantes autem alia Sacramēta characterem imprimētia vt ordinis, con-

firmationis, peccant iuxta modum iterationis, aut autem incurrant irregularitatem videri possunt. Scot. in 4. d. 7. q. vlt. Victor de Sacram. Confirm. num. 45. Ang. Arin. loc. cit. Hofst. lo. cit. in fin. Nau. loco cit. num. 247.

Huc reducendi sunt Neophiti, Apostata, & fidem abnegantes, quod ordinari non possint, etiam postquam Ecclesiæ fuerint reconciliati, recipiunt tamen characterem si ordinentur. De Neophitis est tex. cap. 1. dist. 48. Hofst. cit. in sum. de temp. ord. num. 30. ne videlicet efferrantur superbia. Intelligendum tamen de recenter conuersis, non de illis qui à multis annis facti sunt Christiani. Felin. in cap. eam te. de rescript. num. 12. Nau. lo. cit. num. 205. seu de illis qui ætate adulta baptizati sunt, & noui sunt in baptismo. Suarez. de cens. disp. 43. sect. 3. num. 5. De Hæreticis est tex. cap. quicumq. & c. statutum de Hæret. in 6. vbi poena huiusmodi extenditur ad filios, & secundam generationem paternã, & primam maternam: sic & Patronus, vel feudatarius aliusue beneficiarius Ecclesiæ, Rectorem vel Clericum ipsius Ecclesiæ occidens vel mutilans, punitur in filiis vsque ad quartam generationem, ne promoueri possint ad ordines. cap. in quibusdam de penis. Paulus IV. etiam descendentes ex Iudæis vel hæreticis, prohibuit promoueri ad Sacros ordines, vsque ad quartã generationem: quam constitutionem postmodum confirmauit Greg. XIII. eãque extendit ad descendentes ex Mauris. vt Nau. conf. 1. de Iudæis. cum distinctionibus quas ibi adfert: de Apostatis. vide tex. cap. placuit & c. hi qui. dist. 50. In hæresi præterea baptizati, siue ab hæreticis baptizati, arcentur ab ordinibus. c. qui in aliquo. 51. dist. cap. qui in qualibet. 1. q. 7. Et qui differunt baptismum vsque ad adultam ætatem, vel ægritudinem. c. si quis

si quis. si. distinct. Ang. verb. irregularitas. num. 55.

7. Ab Episcopo Hæretico Apostata excommunicato, suspenso interdicto Simoniacò declarato vel intruso ordinati, licet characterem recipiant, ad superiores tamen ordines non sunt promovendi, & in susceptis absque dispensatione ministrare non possunt. *cap. gratia. cap. si qui. & seq. c. constat multos. i. q. i. Arm. verb. irregularitas. num. 78. ubi distinguit de talibus, nimirum si id fecerint scienter, non nisi per Papam esse dispensandos, si vero ignoranter vel metu cadente in constantem, posse cum illis per Episcopum dispensari. Ordinati autem ab hæretico qui non fuit Episcopus, ultra*

id quod sunt inhabiles ad ordines, etiã illa ordinatio nullum ipsis impressit characterem: ita quod si ex gratia Papæ fuerint dispensati, iterum debeant ordinari. *cap. Dasbertum. & seq. i. quest. 7.*


Ipsi etiam ordinandi dum fuerint excommunicati, suspensi, ordinari non debent. *Nau. lo. cit. Ang. lo. cit. num. 22. Similiter & violatores interdicti Ecclesiastici, si illud violent in ordinibus existentes actum aliquem ordinibus deputatum exercendo, ad superiores ordines promoveri non possunt. Si autem violent interdictum dum sunt laici, licet peccent, non tamen incurrunt prohibitionem ab ordinibus*

*Nau. lo. cit. nu. 243.*

## ARTICVLVS IV.

### Derequisitis ætatis, Confirmationis, Natalium.

- 1 **A**etas qua requiratur in ordinandis.
- 2 Ordinatus ante ætatem competentem quas pœnas incurrit.
- 3 Ordinatus ad minores ante ætatem non incurrit pœnas Const. Pj. II.
- 4 Parentibus attestantibus de ætate filij creditur.
- 5 Sacramentum confirmationis necessarium ante susceptionem ordinum.
- 6 Illegitimi ordinari non possunt.
- 7 Illegitimus occultè debet obtinere dispensationem ad ordines.
- 8 Parentum confessio an præiudicet filijs.
- 9 Illegimitas Canonica non civilis attenditur quoad ordines.
- 10 Legitimus per Principem secularem non efficitur habilis ad ordines.
- 11 Legitimus per subsequens matrimonium, quomodo possit ordinari.
- 12 Regulares dispensari possunt in illegimitate per suos superiores.
- 13 Papa dispensare potest ad omnes ordines cum illegitimo.
- 14 Episcopus dispensare potest ad minores tantum cum illegitimo.
- 15 Infantes vulgò expositi, an sint ordinandi sine dispensatione.

 Ordinandi præterea non sunt qui nõ habent ætatem requisitam. Quæ prohibitio non est quidem de necessitate Sacramenti Ordinis, nã quoad hoc nulla ætas

certa requiritur. *Hofst. in sum. cit. de temp. ord. num. 31. S. sed & præter. Arm. v. atas. num. 1. sed tamen est de necessitate præcepti. authores cit. Est autem ætas requisita quoad primã tonsuram, & tres pri-*

mos